

tatis, quibus hunc ordinem prae alio ab aeterno praefinivit. Dicitur proinde *ordinata*, secundum quod est potestas exequens ea, quae voluntas dirigente sapientia reapse de-crevit. Sic absolute potuit Deus hominem sine gratiae donis creare: sed ordinata potentia non potuit, eo quod benigna voluntate statuerit, ut super naturae conditionem ad divina fruenda elevaretur. Haec est expositio B. Thomae (*Summa th.* 1. p. q. 25. a. 5. ad 1.: item 3. *Cont. Gent.* c. 96.). Alius distinguendi modus est, si absolutae potentiae divinae tribuantur quae praefer communes sive naturae sive gratiae leges Deus operatur, ut contingit in miraculis: ordinatae vero, seu melius *ordinariae*, potentiae divinae attribuantur, quae Deus operatur secundum modum et legem communem sive naturae sive gratiae, ut cum astra suos cursus peragere sinuntur. Hinc multa quae Deus potest de potentia absoluta, hoc altero modo explicata, debent dici pertinere ad potentiam Dei ordinatam in priori sensu intellectam. Negari minime potest hanc alteram expositionem esse quoque legitimam, immo usitatissimam.

## DISPUTATIO IV.

### DE DEO CREATORE

#### SECTIO I.

*Dependentia rerum omnium a Deo,  
ut a prima causa efficiente  
et exemplari.*

516. *Ordo tractationis.* — Egimus in Disputatione praecedente de operatione divina immanente, secundum quam Deus sic vivit ut sit ipsa vita subsistens. Tractandum modo assumimus de divina operatione ad extra, secundum quam attributa Creatoris et quae creationem consequuntur, in Deo considerantur. Etsi enim eiusmodi operatio et ipsa sit formaliter Deo immanens, ut quae unum idemque est cum divina substantia [508, I], est tamen virtualiter transiens propter habitudinem quam inportat ad opus ad extra ex eius efficacia proveniens. Ut autem lucidior evadat haec tractatio, eundem ordinem fere sectabimur quem Doctor Angelicus (*Summa th.* 1. p. q. 44, seqq.). Imprimis itaque generali quodam conspectu contemplanda venit dependentia rerum omnium a Deo, ut a prima causa efficiente, exemplari, et finali: secundum hanc enim triplicem habitudinem haec dependentia absolvitur. Tum vero magis deartienlate, quis sit modus quo asserta dependentia habetur, indagabimus. Id porro duplici alia consideratione continetur: altera quae est de ipsa actione

*creativa*, secundum quam res primo in esse producuntur: altera de divina *gubernatione*, secundum quam Deus res productas tuetur ne in nihilum relabantur, et ad proprios cuiusque fines movet et dirigit. In praesenti sectione agemus dumtaxat de rerum dependentia a Deo, prout est ipsarum prima causa efficiens et exemplaris, universe quidem et generatim haec considerando.

### THESIS XXI.

*Fateri oportet, omnia quae praeter Deum existunt, ab eo pendere, ut a prima causa efficiente, non solum IN FIERI, ut aiunt, verum etiam IN ESSE.*

517. *Declaratio.* — Haec thesis non est nisi expositio quaedam eorum quae in prima Disputatione tractata sunt. Quum vero in hac veritate sicut in radice nitantur quae dicenda remanent, non abs re erit eam rursus in mentem revocare et ulterius confirmare. Iam age, ut alibi diximus [*Pr. Ph.* 608, III: 684]. dupliciter aliquis effectus pendere potest a sua causa efficiente, nimirum *in fieri*, et *in esse*. Primum habetur, si res a causa dependet, spectato dumtaxat modo quo reipsa esse accepit. Sic dependet exempligratia hic homo a suis parentibus. Si enim esse cuiusque hominis secundum se consideretur, minime profecto essentialiter dependentiam importat ad hunc vel illum hominem: quandoquidem optime existere potest, quin ab alio generetur, puta si ut primi parentes a solo Deo produceretur. Si itaque Petrus dependet a suis parentibus, id erit *in fieri* tantum, spectato scilicet modo quo de facto esse recepit per talem generationem. Alius modus dependentiae elucet, quotiescumque ipsum esse effectus intrinsecam et essentialiter dependentiam involvit respectu suae causae. Exemplum sint actus per se vitales, puta actus intelligendi et volendi: siquidem per se dependent a vitali

principio unde fluunt, adeoque fieri minime potest, ut esse habeant, proprio eorumdem principio, puta intellectum vel voluntatem, in eos efficienter non influente. Quando id contingit, effectus dicitur a sua causa efficiente pendere, non in fieri dumtaxat, sed *directe secundum esse*. Talem porro asserimus existere dependentiam a Deo in rebus omnibus quaecumque praeter ipsum existunt. Id autem tria complectitur, quae sunt totidem partes propositae conclusionis. Primo dicimus, omnia quae praeter Deum existunt, esse facta, ideoque pendere ab aliqua causa efficiente. Secundo addimus, eiusmodi dependentiam intelligi debere non solum in fieri, verum etiam secundum esse eorumdem. Unde tertio demum concludimus, causam a qua sic omnia dependent, esse Deum.

518. *Demonstratio I. partis.* — Ex principio causalitatis constat, nulli rei convenire ut sit, nisi vel ratione suae essentiae quae cum esse prorsus omnino identificetur, vel ex efficientia causae superioris: secus quippe rationem sui sufficientem in nihilo, h. e. nullam haberet [*Pr. Ph.* 611, 677]. Iam vero solus Deus essentialiter est, cum ipse solus sit ipsum esse per se subsistens, ut ante demonstratum dedimus [452]. Ergo quaecumque praeter Deum existunt, non habent esse nisi ex efficientia causae superioris.

Confirmatur. Iuxta egregium principium B. Thomae quo saepe usi sumus, quidquid alicui convenit ex sua natura et non ex aliqua causa, minoratum in eo esse non potest [391]. Atqui in solo Deo esse non habet defectum, cum ipse solus sit absolute et infinite perfectus. Ergo in omnibus aliis nequit inveniri esse nisi causatum. Atqui rursus omne causatum oportet esse effectum causae efficientis: siquidem omnis causa vel est efficiens, vel per efficientem causat [*Pr. Ph.* 667, II]. Ergo quicquid praeter Deum existit, causam sui efficientem habet.

519. *Demonstratio II. partis.* — Satis est in huius rei demonstrationem urgere bina argumenta quae modo protulimus.

I. Ac primo quidem ratio seu titulus quare cetera

quaecumque praeter Deum existunt, fieri postulant, ex eo praecise repetitur ultimato, quod eorundem esse minime sit subsistens, sed receptum. Atqui quod esse alicuius sit receptum, non subsistens, minime censi potest quasi praedicatum per accidens huic esse conveniens, quum id ei addicatur maxime per se et secundum propriam sui rationem. Ergo cetera quaecumque praeter Deum existunt, ab efficiente causa pendent, non solum inspecto modo quo efficiuntur, sed inspecta ipsa formali essendi ratione qua sunt, h. e. nedum *in fieri* sed *directe secundum esse*.

II. Id ipsum luculentius adhuc conficitur, spectata essendi imperfectione rerum factarum. Nam esse, in communi inspectum, per se dividitur in participatum et imparticipatum. Esse enim imparticipatum dicitur, in quo ipsa ratio essendi secundum totam suae nobilitatis potestatem seu plenitudinem invenitur: participatum contra illud est, in quo ratio essendi minorata seu deficiens elucet, iam vero solus Deus, utpote infinitus, est ens imparticipatum. Ergo ratio essendi in ceteris omnibus participata sit oportet. Atqui omne participatum et imperfectum, ut dictum est, efficientiam altioris agentis postulat, ut sit. Ergo ipsa ratio essendi ceterorum omnium quae praeter Deum existunt, postulat efficientiam altioris agentis ut sit; quod perinde est atque affirmare, ea a causa efficiente pendere non solum *in fieri*, verum etiam *in esse per se et directe*.

520. **Demonstratio III. partis.** — Intellige primum quod dicimus. Minime inficiandum est, dari quaedam quae directe secundum esse dependent ab efficiente quod non est Deus; cuiusmodi sunt actus per se vitales ad propria principia comparate. Haec tamen dependentia primo et per se non est *secundum generalem rationem entis contingentis et participati*, sed secundum aliquam rationem entis magis coarctatam, puta volitionis aut intellectionis, alteriusve huius consimilis. Cum itaque, ut modo demonstravimus, quaecumque praeter Deum existunt, ideo praecise causam efficientem postulant, quia ratio essendi in eis est recepta et participata, idcirco asserimus, unum Deum esse

a quo cetera *secundum hanc rationem* efficienter pendere queant.

Ratio porro asserti haec est. Fieri nempe non potest, ut aliquid ab alio pendeat sub illa ipsissima ratione, sub qua hoc aliud et ipsum essentialiter dependet. Sic Petrus ex. gr. non potest qua et *quia* homo efficienter pendere a Paulo; secus ipsa humanitas secundum se a Paulo efficienter existeret, atque adeo Paulus ipse, utpote humanitate essentialiter constitutus, a seipso penderet in suo esse; quod certe contradictio est. Atqui ratio entis contingentis et participati eadem est in omnibus et in singulis aequaliter viget, quaecumque praeter Deum existunt. Ergo causa efficiens a qua omnia sic dependent, nequit esse nisi Deus. Atqui demonstratum est, cetera praeter Deum existentia, secundum hanc generalissimam rationem, entis scilicet contingentis et participati, ab aliquo effici oportere. Ergo causa efficiens eiusmodi est Deus et solus Deus. Confer S. Thomam (*Somma th.* q. 44. a. 1., coll. g. 104. a. 1.; 2. *Cont. Gent.* c. 15.). Confer etiam quae in *Philosophia Prima* disserimus [684].

521. **Coroll. I. — Materia prima efficienter est a Deo.** — Sequitur manifestissime ex dictis. Secus enim vel abire oporteret in infinitum, vel ipse Deus esset causa materialis ceterorum, vel praeter ipsum aliquid existeret ab eo non factum. Atqui primum principio causalitatis [*Pr. Ph.* 687], alia vero duo divinis perfectionibus manifeste adversantur. Hinc patet ulterius, asserendam esse Deo actionem qua effectus producatur sine ullo praexistente in quod ut materiam talis actio exerecatur. Ad rem Angelicus. "Si enim est aliquis effectus Dei, aut praexistit aliquid illi, aut non. Si non, habetur propositum, scilicet quod Deus aliquem effectum producit ex nullo praexistente. Si autem aliquid illi praexistit, aut est procedere in infinitum, quod non est possibile in causis materialibus, ut Philosophus probat 2. *Metaph.*; aut erit devenire ad aliquod primum, quod aliud non praesupponit. Quod quidem non potest esse ipse Deus; ostensum est enim, quod ipse non est materia alicuius rei: nec potest

esse aliud a Deo, cui Deus non sit causa essendi, ut dictum est. Relinquitur igitur quod Deus in productione sui effectus, non requirit materiam praeiacentem ex qua operetur. (2. *Cont. Gent.* c. 16.)

522. *Coroll. II.* — Res aliae a Deo vere efficiuntur non solum secundum essentiam qua specificantur, sed etiam secundum esse quo in se ipsae subsistunt. — Id asserimus contra Rosminum qui, inter alia paradoxa suae philosophiae, asserere minime dubitavit, esse creaturarum actione divina non *effici*, sed *poni*, consequenter scilicet ad ipsius doctrinam ante recitatam [287] de reali unitate omnium in ratione essendi quam ex Parmenide emendicavit. Patet autem veritas huius collectionis dupliciter. Etenim, ut suo loco demonstravimus, non potest sine pantheismi labe affirmari, esse divinum minime secundum se totum reipsa distingui ab esse quo res creatae in se ipsae subsistunt [435]. Atqui nihil extra Deum invenire licet positive existens quod non sit ex divina efficientia, ut in thesi praecedente demonstratum etiam est. Praeterea ratio quamobrem aliquid agnosceat ut effectum, ea est, quod sit actus receptus et confinis in perfectione carens. Atqui manifestum est omnino, utrumque inveniri in esse quo res aliae a Deo in se ipsae subsistunt. Imprimis enim non est actus irreceptus, cum recipiatur in essentia ipsa, ut in sua propria potentia: minime praeterea est perfectionis illimitatae; coniungitur siquidem cum multis imperfectionibus, quae scilicet commune sunt patrimonio creaturarum omnium.

Obicit fortasse quispiam. Plures theologi cum beato Thoma (*Summa th.* 3. p. q. 17. a. 2.), et nos etiam [*Pr. Ph.* 541], admisimus, humanitatem Christi Domini, tametsi res alia sit a Deo eaque vere effecta, non alio esse actuari quam ipso esse Verbi cui hypostatice unitur. Ergo nihil prohibet, aliquid efficiatur secundum essentiam, quin efficiatur simul ipsum esse quo subsistit; siquidem nefas est cogitare ut effectum esse Verbi divini quo subsistit humanitas ei hypostatice unita.

Respondeo. Ideo haec sententia B. Thoma a pluribus

theologis et a nobis etiam fuit approbata, quia catholica fide edocetur, Christi Domini Humanitatem minime *in se* subsistere, sed *in Verbo* a quo in unitatem hypostasis est assumpta. Quae vero hic docemus, respiciunt esse quo res aliae a Deo *in se ipsae* subsistunt. Quare quemadmodum ex ineffabili unione hypostatice sequitur ea quae a theologis appellatur *communicatio idiomatum*, qua scilicet proprietates humanae et divinae naturae invicem praedicantur in concreto (*Summa th.* 3. p. q. 16. a. 4.): sic etiam, si aliquid huic rei simile contingeret in rebus ceteris, harum etiam proprietates et operationes de Deo praedicari possent in concreto, et vicissim quae Dei sunt, praedicari deberent de re qualibet, puta de diabolo. Id porro risibile omnino est, nedum absurdum. Praeterea, cum in Philosophia rosminiana essentia creaturarum dumtaxat exhibetur ut facta, nomine essentiae non intelliguntur nisi limites, nempe id quod negativum est in quacumque creatura: quidquid vero est positivum in ea, dicitur unum idemque cum esse divino aeterno quod creatione exhibetur *poni* tantum ad extra quin efficiatur. Vide testimonia quae alibi recitavimus [287, nota]. Puto autem, cuilibet patere posse, nihil eiusmodi contingere sive de composito Theandrico, sive de rerum ceterarum productione agatur. Etenim Humanitas assumpta limitibus certe non constituitur, ut negatio vel privatio quaedam, sed positiva constat realitate et perfectione (1). Est etiam plane absolum, ut esse cogitetur quasi ipsum tantum res sit positiva: hoc enim tantumdem valeret, quantum si nulla perfectio rebus attribueretur nisi divina, quod solus pantheista effutiet. Ergo ex sen-

(1) \* Non solum id, in quo creaturae communicant, scilicet ipsum esse ad perfectionem pertinet, sed etiam ea per quae creaturae invicem distinguuntur, sicut vivere, intelligere, et huiusmodi, quibus non vivencia a viventibus et intelligentia a non intelligentibus distinguuntur. Et omnis forma, per quam quaelibet res in propria specie constituitur, perfectio quaedam est. S. THOMAS (*Summa th.* 1. p. q. 14. a. 6.).

tentia illa B. Thomae quae in obiectione refertur, nihil admodum elici potest quod rosminianum paradoxum de esse inproducto rerum omnium utcumque verisimile efficiat.

### THESIS XXII.

*Deus, ut efficiens, sic est etiam prima exemplaris causa universi, remote quidem ratione suae essentiae, proxime vero ratione suae sapientiae.*

523. *Demonstratio I partis.* — Ut haec veritas patefiat, duo probanda sunt, videlicet postulari in productione universi aliquam primam causam non solum efficientem, sed exemplarem etiam; et insuper, causam eiusmodi non esse nisi ipsum Deum.

I. Iam vero primum assertum facile patet ex munere causae exemplaris alibi declarato [*Pr. Ph.* 657]. Requiritur scilicet in omni opere quod non casu vel ex naturae necessitate, sed arte elaboretur, ut actio prodeat determinata non solum quoad exercitium, sed etiam quoad specificationem. Atqui Deus agit in productione universi non casu aut ex necessitate naturae, sed arte sapientissima et liberrimo voluntatis consilio. Ergo in molitione universi necessario requiritur, ut prima causa efficiens, sic etiam prima quaedam exemplaris causa.

II. Nequit praeterea fingi aliquid extra Deum esse causam eiusmodi. Deus enim, ut in ceteris, sic etiam in perfectione primi agentis plane absolutus et independens sit oportet. Atqui egere exemplari a se distincto et ab aliis emendicato, est proprium agentis imperfecti et dependentis. Ergo prima exemplaris causa universi nequit esse nisi ipse Deus. *Prima*, inquam. Sicut enim praeter primum existunt etiam agentia secunda, sic etiam, ut notavit divus Thomas: \* possunt etiam in rebus creatis quaedam aliorum

exemplaria dici, secundum quod quaedam sunt ad similitudinem aliorum, vel secundum eandem speciem, vel secundum analogiam alicuius imitationis. \* (*Summa th.* 1. p. q. 44. a. 3.)

524. *Declaratio II partis.* — Ad huius rei intelligentiam revoca in memoriam quod alibi [*Pr. Ph.* 660] dictum est, duplex scilicet existere causam seu formam exemplarem, *proximam* alteram, alteram vero *remotam*. Exemplar proximum propriam sedem habet in intellectu artificis, et est ipsa conceptio mentalis ad quam artifex exit suum opus. Est nempe ipsum *mentale verbum* operis efficiendi, spectatum non secundum relationem originis quam habet ab intellectu, sed prout representat obiectum quod concipitur; quare proprio nomine *idea* nuncupatur [301]. Exemplar vero *remotum* dicitur reale illud obiectum, unde artifex haurit conceptionem operis faciendi: siquidem ordo intelligibilitatis tandem aliquando in ordine realitatis inniti debet, cuius rei gratia est etiam verissime dictum, *artem scilicet naturae pedissequam esse oportere*. Id vero fit dupliciter, ut notavit Angelicus. \* In his, ait, quae ad imitationem alterius producuntur, quandoque id quod alterum imitatur, perfecte imitatur ipsum: et tunc intellectus operantis praeconciens formam operati habet ut ideam ipsam formam rei imitatae. Quandoque vero quod est ad imitationem alterius, non perfecte imitatur illud; et tunc intellectus operativus non accipit formam rei imitatae absolute ut ideam et exemplar rei operandae, sed cum proportionem determinatam, secundum quam exemplatum a principali exemplari deficeret vel imitaretur. \* (*Qq. Disp. Verit.* q. 3. a. 2.) His positis, haec in rem nostram facile capiuntur.

I. Patet imprimis, Deum *ratione suae sapientiae* esse proximam causam exemplarem universi. Ratio propria huius asserti ducitur ex his quae modo dicimus. Exemplar enim id genus reipsa non differt ab ipsa conceptione seu verbo mentali quo artifex in sua mente vitaliter exprimit opus efficiendum. Atqui Deus per sapientiam suae divinae mentis totius universi ordinem in se concipit ac vitaliter

exprimit. Ergo Deus ratione suae sapientiae est proxima exemplaris causa totius universi (1).

II. Patet secundo, in *divina essentia* inveniri remotum exemplar totius universi. Ratio est quia divinae sapientiae primum et per se obiectum aliud esse non potest a divina essentia: idcirco vero hoc dicitur, quia Deus in sua essentia omnia intelligit, quae propterea nequeunt a Deo concipi, nisi quatenus in ea imitantur et per quamdam quasi resultantiam, ut ante declaratum habes [470, 471]. Quo pacto vero id fiat, sic eleganter exponit Angelicus. \* Deus per intellectum omnia operans, omnia ad similitudinem essentiae suae producit. Unde essentia sua est idea rerum, non quidem ut essentia, sed ut est intellecta. Res autem creatae non perfecte imitantur divinam essentiam. Unde essentia non accipitur absolute ab intellectu divino ut idea rerum; sed cum proportionem creaturae fiendae ad ipsam divinam essentiam, secundum quod deficit ab ea, vel imitatur eam. Diversae autem res diversimode ipsam imitantur; et unaquaeque secundum proprium modum suum, cum unicuique sit proprium esse distinctum ab altera: et ideo divina essentia, cointellectis diversis proportionibus rerum ad eam, est idea misuicuiusque rei. \* (Qq. Disp. loc. cit.) Eandem doctrinam tradit (*Summa th.* 1. p. q. 15. a. 2.).

325. *Coroll. I.* — **Quid proprie sint ideae divinae mentis.** — Ex dictis patet, id quod ponimus in Deo, ut exemplarem causam seu ideam universi, nec esse aliquid a Deo distinctum, ut fabulantur Platonici [*Pr. Ph.* 354],

(1) \* Dicendum, quod sapientia et ars significantur, ut quo Dens intelligit; sed idea, ut quod Deus intelligit. Deus autem uno intellectu intelligit multa, et non solum secundum quod in seipsis sunt, sed etiam secundum quod intellecta sunt, quod est intelligere plures rationes rerum. Sicut artifex, dum intelligit formam domus in materia, dicitur intelligere domum; dum autem intelligit formam domus ut a se speculatam, ex eo quod intelligit se intelligere eam, intelligit ideam vel rationem domus. \* S. THOMAS (*Summa th.* 1. p. q. 15. a. 2. ad 2.).

nec compositionem ullam aut pluralitatem efficere in divina substantia. Nempè aliud nihil est ab ipsa divina essentia, quae, si spectetur secundum se, est remotum, si vero spectetur ut est a divina mente intellecta, est proximum exemplar rerum omnium quae ad ipsius imitationem fiunt. Deus, ait S. Thomas, *secundum essentiam suam est similitudo omnium rerum. Unde idea in Deo nihil est aliud quam Dei essentia.* (*Summa th.* 1. c. a. 1. ad 3.) Nec refert, quod *ideae* divinae pluraliter sic dicantur. Ut enim expendit idem Angelicus: *Idea non nominat divinam essentiam, in quantum est essentia, sed in quantum est similitudo vel ratio huius vel illius rei. Unde secundum quod sunt plures rationes intellectae ex una essentia, secundum hoc dicuntur plures ideae.* (l. c. a. 2. ad 1.)

Dices fortasse. Ut ante dictum est [524], idea, strictè loquendo, est ipsum verbum in quo artifex praeconcepit opus efficiendum. Atqui in Deo non est nisi unicum Verbum, quod est secunda Persona augustissimae Trinitatis.

Respondeo cum S. Thoma. \* Dicendum, quod nomen *ideae* principaliter est impositum ad significandum respectum ad creaturam; et ideo pluraliter dicitur in divinis, neque est personale. Sed nomen *Verbi* principaliter impositum est ad significandam relationem ad dicentem, et ex consequenti ad creaturas, in quantum Deus intelligendo se intelligit omnem creaturam. *Et propter hoc in divinis est unicum tantum Verbum et personaliter dictum.* \* (*Summa th.* 1. p. q. 34. a. 3. ad 4.)

526. *Coroll. II.* — **De propria causalitate divinarum idearum.** — Intelligitur etiam ex dictis, *ideae* divinas se habere in genere *causae primae formalis extrinsecae*. Sunt quidem ut *causa prima*: quandoquidem in Deo agnoscuntur prout est primum rerum omnium principium. Revocantur praeterea ad genus *causae formalis*. In causa enim formali, prout huiusmodi, invenitur *ratio specificativa* rei, *ὁ λόγος τῆς ἐν εἴδει* [*Pr. Ph.* 647, 656]. Id vero praestant *ideae* divinae, quemadmodum *idea* quaelibet respectu operis cuius est exemplaris causa: unde vocantur simpliciter *formae exemplares*. Sunt denique *causae extrin-*

*secae*: non enim ut pars ingrediuntur in rei constitutionem, siquidem sunt ipsamet divina essentia, ut dictum est, quam nefas est concipere quasi partem creaturae alicuius.

Ex descripta causalitate divinarum idearum manifestum fit, inde ultimo repeti debere virtutem omnem specificativam et, ut ita dicam, *rectificativam*, quae formis aliis quibuscumque inesse potest ad rem in suo proprio esse constitutendam. Omne enim imperfectum et mobile ex aliquo perfectissimo et immobili promanare debet. [*Pr. Ph.* 573, 686.] Et huc spectat elogium divinarum idearum a B. Augustino his verbis prolatum. *Ideae sunt principales quaedam formae vel rationes rerum stabiles atque incommutabiles, quia ipsae formatae non sunt, ac per hoc aeternae ac semper eodem modo se habentes, quae divina Intelligentia continentur. Sed cum ipsae neque oriuntur, neque intereant, secundum eas tamen formari dicitur omne quod oriri et interire potest, et omne quod oritur et interit.* (Lib. 83. qq. Q. 46.) Hinc, quum bonitas cuiusque rei creatae consistat in debito modo, specie, et ordine [*Pr. Ph.* 487], quemadmodum si modus attenditur, ad Deum ultimo refertur ut ad primam sui causam efficientem, et, spectato ordine, ad eundem refertur ut ad ultimum finem: sic, si debita cuiusque rei species consideretur, prima huius ratio in divinis ideis archetypis opus est inveniri (1).

527. *Coroll. III.* — *An in divina mente sint ideae omnium quae cognoscit.* — Patet insuper ex dictis, divinam scientiam latius patere quam ipsius ideae. Ac primo quidem Deus seipsum cognoscit, sui tamen ideam non habet: siquidem eius essentia est principium operativum aliorum, non autem suipsius. Cognoscit praeterea mala, ceterasque rerum privationes: horum tamen non est idea, ut ante notavimus [474]. Quod vero spectat perfe-

(1) \*Habere modum, speciem et ordinem pertinet ad rationem boni creati. Sed bonum in Deo est, sicut in causa: unde ad eum pertinet imponere aliis modum, speciem, et ordinem: unde ista tria sunt in Deo, sicut in causa. S. THOMAS (1. p. q. 6. a. 1. ad 1.).

ctionem propriam cuiusque creaturae, est quidem idea in Deo respectu omnium quae a Deo fiunt secundum aliquod tempus: quoad alia vero, quae scilicet nec sunt, nec fuerunt, nec erunt, non est idea in Deo, ait S. Thomas, *secundum quod idea significat exemplar, sed solum secundum quod significat rationem.* (*Summa th.* 1. p. q. 15. a. 3. ad 2.) Videtur haec uberius evoluta (Qq. Disp. *Ver.* q. 3. a. 3. seqq.).

528. *Coroll. IV.* — *Sola creatura rationalis est ad Dei imaginem facta.* — Postremo intelligitur ex dictis discrimen valde notandum inter creaturas rationales et irracionales, quod spectat modum quo divinae essentiae similitudo in eis relictur. In omnibus quidem, ut dictum est, aequalis Dei similitudo elucescit: haec tamen in solis creaturis rationalibus seu intellectualibus, prout eiusmodi, assurgit ad rationem *imaginis*, vere et proprie talis, tametsi analogicae. \*Requiritur, ait S. Thomas, ad rationem imaginis quod sit similitudo secundum speciem, sicut imago regis est in filio suo: vel ad minus secundum aliquod accidens proprium speciei, et praecipue secundum figuram, sicut hominis imago dicitur esse in cupro. . . . Manifestum est autem, quod similitudo speciei attenditur secundum ultimam differentiam. Assimilantur autem aliqua Deo, primo quidem et maxime communiter, in quantum sunt; secundo, in quantum vivunt; tertio vero, in quantum sapiunt vel intelligunt, quae, ut Augustinus dicit in lib. 83. Qq., *ita sunt Deo similitudine proxima, ut in creaturis nil sit propinquius.* Sic ergo patet, quod solae intellectuales creaturae, proprie loquendo, sunt ad imaginem Dei. (*Summa th.* 1. p. q. 93. a. 2.) Hinc, quum processiones Dei ad intra considerentur secundum gradum vitae intellectualis, aliqua etiam, deficientissima licet, augustissimae Trinitatis imago in creaturis rationalibus cernitur, ut idem Angelicus Doctor quaest. cit. expendit. Et si vero haec ita sint, creaturae etiam irracionales vitam intellectualem divinam significant per modum *vestigii*, in quantum in eis apparet quoddam quasi vestigium intellectus producentis, divini scilicet, si earum dispositio et ordo consideretur. Quin hac ratione id aliquo modo refertur etiam quoad processiones divina-

rum Personarum. In his enim, ut iterum expendit Angelicus: "non invenitur principium verbi, et verbum, et amor: sed apparet in eis quoddam vestigium, quod haec inveniuntur in causa producente. Nam hoc ipso quod creatura habet substantiam modificatam et finitam, demonstrat quod sit a quodam principio. Species vero eius demonstrat verbum facientis, sicut forma domus demonstrat conceptionem artificis. Ordo vero demonstrat amorem producentis, quo effectus ordinatur ad bonum, sicut usus aedificii demonstrat artificis voluntatem." (loc. cit. a. 6.)

## SECTIO II.

*An et quo pacto res omnes in Deum,  
ut in finem, ordinantur.*

529. Praenotanda. — Quemadmodum Deus ratione suae potentiae est principium effectivum creaturarum, ratione suae sapientiae earundem principium exemplare: sic etiam, ob suae divinae voluntatis bonitatem, in ipso omnia sicut in fine absolute ultimo conquiescunt. Haec triplici relatione absolvitur generalis dependentia, qua res ceterae cum Deo connectuntur, unde admirabilis ille quasi circulus existit per quem creata omnia a summo Bono progredientia, in Ipsum regrediuntur. De duplici priori relatione egimus in sectione praecedente: tertia modo tractanda venit. Ut autem tractatio lucidior evadat, ex his quae in Philosophia Prima iam declaravimus [661, seqq.], haec in memoriam revoca.

I. Finis simpliciter et absolute eiusmodi is tantum hoc nomen meretur, qui ad nullum alium ordinatur, ad ipsum vero cetera omnino. Est propterea qui non solum in determinato aliquo ordine sic dicitur, cuiusmodi ex. gr. beatitudo constituit finem totius vitae humanae, sed totum omnino creationis ordinem respicit, ad quem propterea

ceteri fines et ipsa hominis beatitudo subordinari debet. De hoc fine in praesenti agimus, qui propterea omni modo *ultimus* est et nuncupatur, etsi alia ratione absolute sit *primus*, in ordine nimirum *intentionis*, prout fert notum illud proloquium, *Finis est ultimus in executione, primus in intentione*.

II. Quum Deus dicitur operari *propter finem*, particula *propter* significare potest vel causalitatem proprii nominis, quae propterea effectum aliquem correlativum habet, vel rationem dumtaxat sufficientem, unde scilicet actus voluntatis finem appetentis allicitur ut a bono ad quod ordinat ea quae ob tale bonum appetuntur. Si priori modo intelligatur, patet eiusmodi causalitatem non posse considerari respectu ipsiusmet actus divinae voluntatis, sed solum respectu operum quae ex eius efficacia proficiscuntur: velle siquidem divinum est plane infectum, ut divina essentia cum qua plane identificatur. Si vero alio modo consideretur, nihil vetat quominus de ipso velle divino intelligatur: divina enim voluntas sapienter vult quaecumque vult ideoque adest ratio quare velit ea. Confer quae in praecedenti Disputatione diximus [499].

III. Voluntas finem intendens ad duo tendit, videlicet ad bonum quod ad appetendum movet, et ad subiectum praedictae bonitatis: quae duo constituunt unum finem adaequatum (1). Bonitas vero alicuius dupliciter movere

(1) \* Sicut Philosophus dicit in 2. Rhetor. c. 4., *amare est velle alicui bonum*. Sic ergo motus amoris in duo tendit, scilicet in bonum quod quis vult alicui, vel sibi, vel alii, et in illud cui vult bonum. Ad illud ergo bonum quod quis vult alteri, habetur amor *concupiscentiae*: ad illud autem cui aliquis vult bonum, habetur amor *amicitiae*. Haec autem divisio est secundum prius et posterius. Nam id quod amatur amore *amicitiae*, simpliciter et per se amatur: quod autem amatur amore *concupiscentiae*, non simpliciter et secundum se amatur, sed amatur alteri. Sicut enim ens simpliciter est quod habet esse; ens autem secundum quid, quod est in alio: ita bonum quod convertitur cum ente, simpliciter quidem est quod ipsam habet bonitatem; quod autem est bonum alterius, est bonum secundum



potest: uno modo ut *constituenda* vel *augenda*; alio modo ut *communicanda* aliis. Hoc secundum praecipue considerari debet, quum aliquis amore plane gratuito et liberali movetur ad benefaciendum in eum praecise finem, ut alios participes reddat boni quod ipse possidet. Bonum siquidem est diffusivum sui: unde quum aliquis corde magno et liberali experitur in se ipso praegrande aliquod bonum quo gaudet, ex ipsa magnitudine tanti boni allicitur ut alii etiam eius participes reddantur, praesertim si ex tali participatione nulla ratione in ipso imminuat. In hoc casu, ut alibi monuimus [*Pr. Ph.* 666], tum diligens, tum persona quae diligitur, intenduntur ut subiectum praedictae bonitatis (*finis cui*), sub diversa tamen ratione. Persona enim quae sic diligit, sibi hoc vult et hoc in se intendit, ut sit videlicet fons bonitatis; id siquidem est per se maxime appetibile; persona vero quae diligitur per eiusmodi amorem, intenditur ut in communionem veniat eiusdem bonitatis eam in se recipiendo. Quare illa diligitur *quia* est bona, haec *ut* sit bona. Ex quo apparet aliquid maxime notandum in hac materia, videlicet minime pertinere ad amorem gratuitum seu benevoluntarium, qui est de ratione amicitiae, ut *ratio motiva* huiusmodi dilectionis invenitur in persona quae diligitur: immo saepenumero tum praecipue elucet, cum in tali persona nihil est quod talem amorem meretur, sed plura potius inveniuntur quibus illum demeretur, puta cum aliquis non removetur a sua beneficentia non obstante ingratitude eorum in quos exercetur. Hoc modo Deus purissimo amore benevolentiae creaturas rationales diligit, tametsi ratio motiva talis amoris sit effusissima ipsius bonitas, quam nec iniquitates propemodum infinitae humani generis vincere poterunt.

quid: et per consequens amor quo amatur aliquid, ut ei sit bonum, est amor simpliciter; amor autem quo amatur aliquid, ut sit bonum alterius, est amor secundum quid. S. THOMAS (*Summa th.* 1. 2<sup>ae</sup> q. 26. a. 4).

### THESIS XXIII.

*Divina bonitas est finis absolute ultimus creaturarum omnium, non certe quasi eis constituitur vel augetur, sed dumtaxat ut ab ipsis pro uniuscuiusque modo participetur.*

530. *Demonstratio I. partis.* — Argumentum duplex; alterum ex parte Dei, alterum ex consideratione creaturarum.

I. Ut perfectiones ceterae, sic etiam ratio *primae causae*, Deo excellentissime convenire debet. Atqui finis inter omnes causas primatum obtinet, quippe ab eo ceterae omnes causae habent ut sint causae in actu; in ordine vero finium, finis absolute ultimus est causa ceterorum. Ergo Deus est finis absolute ultimus rerum omnium. Ita fere S. Thomas. " Finis, ait, inter alias causas primatum obtinet, et ab ipso omnes aliae causae habent quod sint causae in actu. Agens enim non agit, nisi propter finem: ex agente autem materia in actum formae reducitur; unde materia fit actu huius rei materia, et similiter forma huius rei forma per actionem agentis, et per consequens per finem. Finis etiam posterior est causa quod praecedens finis intendatur ut finis; non enim movetur aliquid in finem proximum nisi propter finem postremum. Est igitur finis ultimus prima omnium causa. Esse autem primam omnium causam, necesse est primo enti convenire quod Deus est, ut supra ostensum est. Deus igitur est ultimus rerum omnium finis. " (*3. Cont. Gent.* c. 17.)

Confirmatur ex propria ratione causandi quae inest causae finali, prout huiusmodi. Haec enim non est alia a bono, prout est bonum. Quod igitur est summum bonum, est maxime finis. Atqui Deus et solus Deus est summum bonum. Ergo non nisi Deo ratio finis maxime addicitur.

Solus autem finis absolute ultimus est maxime finis, quum sit prima ratio et mensura ceterorum. Apposite rursus Angelicus. \* Si enim nihil tendit in aliquid sicut in finem, nisi in quantum ipsum est bonum, oportet quod bonum, in quantum est bonum, sit finis. Quod igitur est summum bonum est maxime omnium finis. Sed summum bonum est unum tantum, quod est Deus, ut probatum est. Omnia igitur ordinantur, sicut in finem, in unum bonum quod est Deus. (loc. cit.)

II. Quemadmodum ex consideratione Dei in praecedenti argumento positive rem demonstravimus, sic, inspecta propria ratione creaturarum, patet eas excludendas esse a dignitate finis simpliciter et absolute ultimi. Etenim omnia quaecumque praeter Deum existunt, non sunt bona nisi participatione divinae bonitatis. Quae autem sunt eiusmodi, nequeunt esse finis absolute ultimus. Ratio est, quia bonum participatum ideo sic dicitur, quia assimilatur ipsi bono per essentialia, sicut deficiens imago suo prototypo. Tota autem amabilitas rei, secundum quod in imagine reuelat, dimanat ex amabilitate quam secundum se habet. Ergo prima et fundamentalis ratio amabilitatis, quae est in bono participato, tota depromitur ex amabilitate, qua dignum est ut ametur bonum ipsum impartiendum. Atqui rursus finis absolute ultimus rationem cur ametur, non mutuatur aliunde, quum in ipso existat prima et adaequata ratio amandi cetera. Ergo repugnat ut quae participatione sunt bona, tamquam finis absolute ultimus habeantur, sed de solo bono per essentialia hoc dici potest, quod est Deus. Huc redit argumentatio B. Thomae sic aientis. \* Quod est maximum in unoquoque genere, causa est omnium illorum quae sunt illius generis. . . . Summum igitur bonum quod est Deus, est causa bonitatis in omnibus bonis. Ergo et est causa cuiuslibet finis quod sit finis: quum quidquid est finis, sit huiusmodi, in quantum est bonum. Propter quod autem est unumquodque, et illud magis, Deus igitur maxime est omnium rerum finis. (loc. cit.)

531. *Demonstratio II partis.* — Probatur ur-

gendo eadem argumenta quae pro prima parte adhibuimus. Nam

I. Deus est ultimus finis propterea quia, ut diximus, est causa absolute prima, quae ideo sic movet ut a nullo moveatur. Atqui quemadmodum agens, qua tale, intendit communicare suam perfectionem, ita patiens, prout huiusmodi, intendit perfectionem suam consequi. Ergo Deus, in rerum molitione, bonitatem suam communicare intendit, non vero obtinere vel augere. \* Deus, ait Aquinas, qui est primum agens omnium, non sic agit, quasi sua actione aliquid adquirat, sed quasi sua actione aliquid largiatur: quia non est in potentia, ut aliquid acquirere possit, sed solum in actu perfecto, ex quo potest aliquid clariri. Res igitur non ordinantur in Deum, sicut in finem cui aliquid adquiratur, sed ut ab ipso ipsamet suo modo consequantur. (3. *Cont. Gent.* c. 18.)

II. Creaturae omnes operantur propter suam perfectionem: unde illud Aristotelis: *Absolute amabile ipsum bonum, cuique vero amabile quod cuique bonum est.* (8. *Ethic.* c. 2.) Cuiuslibet vero rei perfectio, praeter Deum, est quaedam derivata similitudo perfectionum divinarum. Ergo creaturae omnes ex ipsa suae naturae inclinatione huc feruntur, ut Deo quoad eius fieri potest assimilentur, et hac ratione bonitatem divinam consequantur. Apposite rursus Angelicus. \* Res omnes creatae sunt quaedam imagines primi sui agentis, scilicet Dei; agens enim agit sibi simile. Perfectio autem imaginis est, ut repraesentet sumum exemplar per similitudinem ad ipsum; ad hoc enim imago constituitur. Sunt igitur res omnes propter divinam similitudinem consequendam, sicut propter ultimum finem. (loc. cit. c. 19.)

532. *Coroll. I.* — Quo pacto creaturae rationales prae irrationalibus in divinam bonitatem ordinantur. Ex dictis non pauca, et quidem ratione maxime a priori intelliguntur, quae ad totius universi pulchritudinem pulcherrime declarandam apprime conducunt. Ac primo quidem patet discerni quos in praedictum finem creaturae rationales prae irrationalibus ordinantur.

Imprimis enim alio et alio modo in divinae bonitatis consecutionem ordinantur. Sola enim creatura rationalis, utpote *ad Dei imaginem* effecta [528], Deum ipsum per operationem intellectus et voluntatis assequi potest; aliae vero creaturae similitudinem quamdam dumtaxat eiusdem. Ex quo fit ut quamvis creaturae omnes participes reddantur divinae bonitatis, rationales tantum participare queant divinam beatitudinem, ut quae in cognitione et amore summi boni consistit. Audiatur B. Thomas. \* Quia omnia procedunt a Deo, in quantum bonus est, ut dicit Augustinus lib. 1. *De Doctr. Christ.* c. 22., et Dionysius c. 4. *De Divin. Nomin.*; ideo omnia creata secundum impressionem a Creatore receptam inclinantur in bonum appetendum secundum suum modum: ut sic in rebus quaedam circulatio inveniatur, dum a bono egredientia in bonum tendunt. Haec autem circulatio in quibusdam perficitur creaturis, in quibusdam autem remanet imperfecta. Illae enim creaturae quae non ordinantur ut pertingant ad illud primum bonum a quo processerunt, sed solummodo ad consequendam eius similitudinem qualemcumque, non perfecte habent hanc circulationem; sed solum illae creaturae quae ad ipsum primum principium aliquo modo pertingere possunt; quod solum est rationabilium creaturarum, quae Deum ipsum assequi possunt per cognitionem et amorem, in qua assecutione beatitudo eorum consistit. . . . Et ideo sicut quaelibet res alia naturaliter appetit suum bonum, ita quaelibet creatura rationalis naturaliter suam beatitudinem appetit. (4. *Dist.* 49. q. 1. a. 3. solut. 1.)

Hinc ulterius colligitur, in omnibus quidem creaturis, ut participationem, sic etiam *manifestationem* quamdam inveniri divinae bonitatis, hanc tamen manifestationem non compleri nisi mediante creatura rationali. Ratio est, quia *soli intellectui* perfectiones divinae manifestari possunt, tametsi per omnes creaturas manifestentur; haec siquidem, si recto iudicio considerentur et aestimentur, vehementissime quidem, multisque modis movent et ducunt in Dei cognitionem et amorem, haec tamen cognitio et amor in sola creatura intellectuali inveniri queunt. Ex quo ratio

etiam redditur quare in adspectabili hoc universo homo a Deo constitutus fuerit quasi *dominus* aliarum rerum inferiorum, quarum utilitas in eiusdem profectum et perfectionem cedat: quandoquidem per intellectum et voluntatem homo redditur domini capax; ordo praeterea exigit ut superioribus inferiora subdantur (1).

533. *Coroll. II. — Deus in omnibus operibus ad extra suam gloriam ultimato intendit.* — Colligitur praeterea ex dictis, mundum ad Dei gloriam fuisse conditum. Gloria enim definitur clara notitia cum laude. Atqui ad eiusmodi notitiam gignendam creaturae omnes ordinantur, ut dictum est, rationales quidem per seipsas, irrationales vero mediantibus creaturis rationalibus. Ergo verissime scopus creationis Dei gloria fuisse dicitur. Ceterum ut haec veritas penitus intelligatur, plura notare oportet.

I. Duplex distinguitur Dei gloria, altera ei *interna*, altera vero *externa*. Prior consistit in ipsa cognitione et aestimatione quam Deus habet supersus; et haec sola ei pro merito respondet. Altera vero ea est quae de Deo habetur a creaturis. Haec posterior *formaliter* non invenitur nisi per propriam operationem creaturae intellectualis: *obiective* vero et *instrumentaliter* etiam in ceteris, quatenus ut dictum est, divinas perfectiones in se ostendunt, et creaturam rationalem iurant in sua operatione.

II. Si spectetur gloria Deo intrinseca, ea constituit finem ultimum creationis, sicut ipse Deus, non quidem sicut

(1) \* Ex parte agentis, divina bonitas est finis rerum, sicut ultimum intentum ab agente: sed natura humana non est intenta a Deo, quasi movens voluntatem eius, sed sicut ad eius utilitatem est ordinatus effectus eius. . . . Similiter ex parte operis, ipsae creaturae tendunt in divinam bonitatem, sicut in illud cui per se assimilari intendunt. Sed quia optimo assimilatur aliquid per hoc, quod simile sit meliori se, ideo omnis creatura corporalis tendit in assimilationem creaturae intellectualis quantum potest, quae a priori modo divinam bonitatem consequitur. Et propter hoc etiam forma humana, scilicet anima rationalis, dicitur esse finis ultimus intentus a natura inferiori, ut in 2. de Anima dicitur. (S. THOMAS (2. *Dist.* 1. q. 2. a. 3.).

aliquid operatum, sed sicut possessum vel repraesentatum. [Pr. Ph. 665, IV.] Sicut enim Deus ipse est sum esse, ita ipse est sum intelligere. Atqui gloria Deo intrinseca est ipsa cognitio et aestimatio quam Deus habet sui ipsius. Nec refert, quod praeter divinam sapientiam, aliae etiam divinae perfectiones in creaturis elucent. Nam divina essentia est similitudo et idea creaturarum *prout intellecta*. Quare quicquid suae bonitatis Deus communicare vult suis creaturis, hoc non est nisi *secundum quod a divina mente cointelliguntur diversae proportionales rerum ad ipsum*, ut ante [524] notavimus cum S. Thoma.

III. Si vero consideretur gloria Deo extrinseca, si quis attente rem consideret, ea est ipsamet formalis communicatio et assecutio divinae bonitatis quam Deus elargitur et creaturae adipiscuntur unaquaque pro suo modo. Quemadmodum igitur gloria Deo interna se habet ut finis *qui*, sic gloria Deo extrinseca se habet ut finis *quo* in opere creationis: et ambo constituunt unum adaequatum finem *cuius gratia* (1) Deus operatur. Etsi vero diversus sit modus communicationis divinae bonitatis quae hanc gloriam Deo extrinsecam constitui, praesertim si creaturae rationales cum irrationalibus comparentur, ratio tamen secundum quam et propter quam divina voluntas ab hac gloria quasi moveri intelligitur, invenietur esse una eademque. Est nempe *similitudo divinae bonitatis* quae in perfectionibus creaturarum relucet. Quare etiam si consideretur gloria illa summa quae in Deum redundat ex ipsius cognitione et amore quo creaturae rationales beatitudinem consequuntur, id quod eiusmodi gloriam divinae voluntati reddit appetibilem, est similitudo et imago quae in ea relucet divinae beatitudinis. Quare S. Thomas, *Si igitur res omnes in Deum sicut in ultimum finem tendunt, ut ipsius bonitatem consequantur: sequitur quod ultimus rerum finis sit DEO ASSIMILARI.* (3. Cont. Gent. c. 19.)

(1) Etsi finis cuius gratia haud raro significet universe omnem finem propter quem agens operatur, adeoque comprehendat etiam

IV. Ex hac declaratione intelligitur, longe aliter Deum dici operari propter suam gloriam et propter semetipsum, ac quando exempligratia dominus aliquis splendidis vestibus sua mancipia induit, non ob ipsorum commodum vel gloriam, sed solum ut ipse omnibus sit admirationi. Egrege in hanc rem L. Lessius. \* In summa Dei gloria, ait, formaliter et intrinsece includitur summum bonum nostrum, ita ut sine illo concipi nequeat: et hoc ipso quod Deus illam gloriam intendit et quaerit, intendit et quaerit summum bonum et commodum nostrum. Unde non minus Deo gratias agere debemus quod quaerat gloriam suam, quam quod quaerat salutem nostram; quia gloria eius est salus nostra. Hoc in hymno Angelico Ecclesiae insinuat, cum ait: *Gratias agimus tibi propter magnam gloriam tuam*; beneficia enim ipsius in nos sunt gloria eius. Accedit, quod ipsi nihil commodi proveniat ex omnibus quae nobis donat vel pro nobis facit, sed in illis omnibus solum quaerat commodum nostrum: nos soli sumus in quorum commodum omnia facta sunt. Ex quibus patet, illud exemplum de domino mancipiorum non esse simile: ille enim non quaerit commodum suorum mancipiorum, sed solum gloriam suam. Unde non ex affectu benevolentiae, sed ex amore sui illis beneficium praestat. Deus vero ita quaerit gloriam suam, ut simul quaerat commodum nostrum, et ex affectu benevolentiae erga nos illud confert: immo summam gloriam suam in summa benevolentia et beneficentia erga nos constituit. Sicut si aliquis Princeps potentissimus et nullius egens, omnem gloriam suam constitueret in beneficentia et liberalitate erga subditos, summam eorum felicitatem summam duceret esse suam gloriam; quis non summo amore, summaque laude prosequendum

finem *cui*, plerumque tamen contradistinguitur a fine *cui*, et non designat nisi bonum ad quod communicandum, obtinendum, vel efficiendum voluntas movetur: in eo siquidem continetur id quod proprie allicet voluntatem, et cuius gratia propterea ea ad appetendum flebitur. Eo sensu hunc loquendi modum in praesenti usurpamus.

diceret hunc Principem, eo quod tali modo quaerat gloriam? . (*De Perfectionibus Divinis*, lib. 14. c. 3. n. 62, 63.)

534. *Coroll. III.* — **Suprema ratio mundi ordinis petita ex hoc fine.** — Quum propria ratio et dignitas eorum quae sunt ad finem, praecipue ex fine mensureretur [*Pr. Ph.* 667, VI], necesse est, ut in divina gloria quam declaravimus inveniatur suprema ratio totius mundi ordinis. Et re quidem vera, huius ordinis pulchritudo ex tribus potissimum elucescit. Primo quidem, ex ingenti multitudine ac varietate rerum quae adspectabilem hanc mundi machinam componunt. Secundo, ex miro causalitatis nexu quo consociantur invicem ita ut una cedat in profectum alterius. Denique, ex sapientissima illa subordinatione qua omnia, unumquodque secundum proprium suae perfectionis gradum, sunt disposita ita ut superioribus inferiora subduntur. Atqui horum omnium ratio ultima et maxime congruens optime repetitur ex assimilatione creaturarum cum divina bonitate, in qua consistere diximus gloriam propter quam Deus omnia operatur.

I. Ac primo quidem quod rerum multitudinem varietatemque spectat, ea certe ex praedicta assimilatione promanat. "Dicendum, ait Angelicus, quod distinctio rerum et multitudo est ex intentione primi agentis quod est Deus. Produxit enim res in esse propter suam bonitatem communicandam creaturis et per eas repraesentandam. Et quia per unam creaturam sufficienter repraesentari non potest, produxit multas creaturas et diversas, ut quod deest uni ad repraesentandam divinam bonitatem, suppleatur ex alia. Nam bonitas quae in Deo est simpliciter et uniformiter, in creaturis est multipliciter et divisim: unde perfectius participat divinam bonitatem et repraesentat eam totum universum, quam alia quaelibet creatura." (*Summa th.* 1. p. q. 47. a. 1.)

II. Id ipsum patet, si spectetur mutuus nexus causalitatis quo videmus omnia invicem colligari. Apposite rursus S. Thomas. "Res intendunt in divinam similitudinem, in quantum (Deus) est bonus, ut supra dictum est. Ex bonitate autem Dei est quod aliis esse largitur: unumquod-

que enim agit in quantum est actu perfectum. Desiderant igitur generaliter res in hoc Deo assimilari quod sint aliorum causae." (*3. Cont. Gent.* c. 21.)

III. Si denique consideretur congrua dispositio rerum, invenitur ea esse sicut partium in toto ordinatissimo. "Si autem, pergit iterum S. Thomas, aliquid totius et partium eius velimus finem assignare, inveniemus primo quidem quod singulae partes sunt propter suos actus, sicut oculus est ad videndum: secundo vero, quod pars ignobilior est propter nobiliorem, sicut sensus propter intellectum, et pulmo propter cor: tertio vero omnes partes sunt propter perfectionem totius, sicut et materia propter formam (partes enim sunt quasi materia totius); ulterius autem totus homo est propter aliquem finem extrinsecum, puta ut fruatur Deo. Sic igitur et in partibus universi unaquaeque creatura est propter suum proprium actum et perfectionem: secundo autem creaturae ignobiliores sunt propter nobiliores, sicut creaturae quae sunt infra hominem, sunt propter hominem: singulae autem creaturae sunt propter perfectionem totius universi: ulterius autem totum universum cum singulis suis partibus ordinatur in Deum sicut in finem, in quantum in eis per quamdam imitationem divina bonitas repraesentatur ad gloriam Dei; quaevis creaturae rationales speciali quodam modo supra hoc habeant finem Deum, quem attingere possunt sua operatione, cognoscendo et amando." (*Summa th.* 1. p. q. 65. a. 2.) (1).

(1) Ex hac doctrina intelligitur principium maxime notandum pro recta explicatione eorum quae suo loco de divinae Providentiae ordine dicturi sumus. Scilicet quadruplex illa ordinatio quam Angelicus hoc loco commemorat in dispositione rerum mundanarum, sic se habet ut priores duae dependant ex tertia, et haec ex quarta. Scilicet primo quidem ut finis intenditur a Deo communicatio suae bonitatis repraesentandae in opere creationis: tum vero totius universi bonum et pulchritudo; per hoc enim divina bonitas ad extra communicatur et repraesentatur: ac tertio denique bonum singularem partium universi, secundum propriam minuscuusque conditionem et gradum; inde siquidem exurgit universale bonum totius uni-

535. *Coroll. IV.* — *Qua ratione hic mundus dicitur optimus.* — Patet deum ex dietis, hunc mundum non posse dici optimum sensu absoluto: quin eiusmodi optimismus contradictionem terminorum involvit. Deus enim operatur ad bonitatem suam communicandam; haec vero communicatio finita sit oportet, adeoque nunquam est eiusmodi ut maior fieri nequeat. Confer quae ante diximus [513, 514]. Dicitur tamen hic mundus optimus relative, ad illum scilicet gradum communicationis suae bonitatis quem Deus pro sua libertate praefinivit: haec enim praefinitio est plane efficax, quam propterea omnipotens Dei voluntas certissime assequitur. Si quis vero ulterius quaerat, cur divina voluntas in hoc potius quam in alio minore vel maiore gradu perfectiones suas communicare voluerit, elegantem aequae ac profundam responsonem accipiat a B. Augustino. \* Si isti dixerint: Quid placuit Deo facere coelum et terram? respondendum est eis, ut prius discant vim voluntatis humanae, qui voluntatem Dei nosse desiderant. Causas enim voluntatis Dei scire quaerunt, quum voluntas Dei omnium, quae sunt, ipsa sit causa. Si enim habet causam voluntas Dei, est aliud quod antecedit voluntatem Dei, quod nefas est credere. Qui ergo dicit: Quare Deus fecit coelum et terram? respondendum est: Quia

versi, ut totam ex partibus. Hinc, secundum rectum rationis ordinem, hoc tertium subordinatur secundo; secundum vero priori. Quum itaque divina voluntas sapientissime atque adeo orinatissime velit omnia, hinc representationem suae bonitatis in opere totius creationis intendit absolute, quemadmodum etiam bonum totius universi; sine hoc enim illa non haberetur. Bonum vero et perfectionem *singularum* partium universi non opus est absolute intendat: siquidem inde non necessario dependet perfectio totius universi, quin etiam potest optime fieri ut ad talem perfectionem conducat defectus quarundam partium. Et haec est ratio quare communicationi divinae bonitatis quam Deus in rerum mobilium intendit, minime adversantur mala quae in hoc mundo cernuntur. Quae etiam est ratio quamobrem beatitudo nostra, etsi vere dicatur finis ultimus *etiae humanae*, non propterea constituitur quae quasi finis absolute ultimus *totius creationis*. Sed haec de re alibi occurret sermo.

voluit. Voluntas enim Dei causa est coeli et terrae, et ideo maior est voluntas Dei, quam coelum et terra. Qui autem dicit: Quare voluit facere coelum et terram? maius aliquid quaerit, quam est voluntas Dei; nihil autem maius inveniri potest. Compescat ergo se humana temeritas, et id quod non est, non quaerat, ne id quod est, non inveniat. (De Gen. cont. Manich. lib. 1. c. 2.) Ratiocinatio S. Doctoris huc redit. In his quae a libero arbitrio pendent, etsi dari queat ratio cur aliquid sapienter fieri possit, id tamen quod determinat et efficit ut res sit potius quam non sit, tandem aliquando est ipsum velle. Quare etiam in nobis verum est dicere, in rebus eiusmodi, ideo eos esse, quia volumus. Si itaque id contingit in voluntate creata et dependente, a fortiori id dici debet de voluntate divina, ut quae est rerum causa efficiens absolute prima et in opere creationis ab omni necessitate libera omnino. Id Augustinus significavit dicendo: *Respondendum est eis, ut prius discant vim voluntatis humanae, qui voluntatem Dei nosse desiderant.*

### SECTIO III.

#### *De opere creationis.*

536. *Factum creationis.* — Mundum universum per veri nominis creationem, nulla scilicet materiali causa praesupposita, fuisse a Deo effectum, manifesta consecutione colligitur ex his quae in prima sectione demonstravimus. Ostendimus enim, nihil in mundo esse quod a Deo non processerit ut a vera causa efficiente, adeoque materiam ipsam qua mundus constat esse factam. Quare S. Thomas: *Creationem esse, ait, non tantum fides tenet, sed etiam ratio demonstrat.* (2. Dist. 1. q. 1. a. 2.) (1).

(1) Etsi veritas haec naturali lumine evidenter ostendi potest, mi-

lisdem etiam argumentis demonstrata manet huius actionis *possibilitas*, siquidem, prout fert vulgatum proloquium, *ab esse ad posse valet illatio*. Non enim ad cuiuslibet facti demonstrationem capiendam praevia requiritur cognitio possibilitatis eiusdem, immo quandoque expedit ut a tali praevia inquisitione mens absteineat, in iis scilicet, ut in re praesenti, quorum propria notio remota est a suo naturali captu, quaeque propterea sint nec ne in numero possibilem, magna cum difficultate *a priori* ostenditur. His itaque praesuppositis venio ad declarationem uberiorem eorum quae in Philosophia Prima inuimus [627], ut huius actionis conceptus recte formetur; tum vero ad inquirendum, quae et quanta virtus requiratur in hoc negotio.

537. **Quae sint de ratione creationis, vere et proprie eiusmodi.** — Est itaque imprimis diligenter notandum, tres conceptus, affines quidem, diversos tamen, coniungere oportere, quo vera notio actionis creativae in mente formetur. Et re quidem vera:

I. Creatio est quaedam *productio* seu *actio*. Agere autem seu producere denotat influxum proprium potentiae activae in actum ab ea egredientem; siquidem aliud non est nisi *ipsummet exercitium potentiae activae*. Quid vero potentia eiusmodi sit, et in quo a passiva distinguatur, in Philosophia Prima declaratum habes [561], ubi etiam no-

nime tamen ratio suis viribus relicta eam de facto semper agnovit, ob eas scilicet difficultates quae ipsis exercitium quoad ea etiam quae naturalis ordinis sunt, praepedire solent, et quas suo loco commemoravimus [*Pr. Ph.* 436]. Ob hanc causam dubium valde controversumque est, utrum ipse Plato et Aristoteles in huius veritatis cognitionem pervenerint. Etenim ex una parte talia principia tradiderunt, verissima quidem, unde logico plano nexu ipsam mundi materiam a Deo effectam esse, convincitur, ut notavit Angelicus (Qq. Disp. Pot. q. 3. a. 5.). Ex alia vero, quae ad fulciendum errorem de materia Deo coaeva docerunt, difficiliter admodum admitti possunt in intellectu qui creationem veri nominis agnoscat, ut notavit Doctor Seraphicus (2. *Dist.* 1. p. 1. a. 1. q. 1.). Saluberrime itaque divina clementia providit, ut veritas tanti momenti irrefragabili suae testificationis auctoritate fidei retetur.

tavimus qua via mens nostra progrediatur ad hos conceptus venandos.

II. Declarata notio actionis seu productionis generalissima est omnino, ut quae locum habet etiam in divinis, quemadmodum theologi docent tractantes de *productionibus Dei ad intra*, tametsi inde longissime absit notio cuiusque *actionis effectivae*, nedum *creativae*. Vide beatum Thomam (*Summa th.* 1. p. q. 28. a. 1. q. 41. a. 1. 3. 4.). Ut itaque haec notio ad creationem coarctetur, superaddenda est *notio effectivae*: creatio siquidem est *actio* quidem sed *effectiva*. Effectio autem, praeter procedentiam quae est de communi conceptu actionis, simul denotat insufficientiam ad existendum rei quae effici seu fieri dicitur. Scilicet illud dicitur effici seu fieri quod in sua natura non habet ut sit, sed dumtaxat ex influenza causae superioris. Huius rei gratia duae expressiones ad intra, quas fide docente in Deo agnoscimus, tametsi verae sint productiones, nulla tamen ratione effectivae aliquam in suo conceptu involvunt. Quamquam enim Filius a Patre, et Spiritus Sanctus ab utroque vere et active procedat, non tamen accipiunt aliud et aliud esse, sed illud ipsissimum esse per se necessarium et infectum quod est esse divinum. [*Pr. Ph.* 607, 626, 627, I.]

III. Etsi creatio sit effectio, non tamen id conversum dicitur. Quum enim aliquid transmutatione efficitur, non propterea creari dicitur. Naturalis etiam priorum accidentium resultantia seu dimanatio a substantia ad genus etiam causalitatis effectivae revocatur [*Pr. Ph.* 645], quin creatio ibi intercedat. Ratio est, quia utroque praeter influxum causae efficientis postulat etiam concursus causae materialis, de cuius potentia formae id genus educatur: hunc porro concursum per se excludit effectio creativa. Hinc dicitur *productio ex nihilo*, non solum ad affirmandum ordinem prioritatis inter non esse quod rei convenit quantum est ex vi suae naturae, ad esse quod ei supervenit ex influenza causae superioris, qua affirmatio productio creativa concipitur ut effectio; verum etiam, ut negetur ordo rei creatae ad praesuppositum

quodcumque subiectum, ex quo tanquam ex materiali causa conciliatur (1). Patet itaque, notionem creationis quam habemus, esse partem affirmativam, partim negativam, adeoque analogam, non propriam, ut sunt notiones quae ex creaturis in Deum transferuntur.

538. **Corollaria doctrinae praecedentis.** — Ex modo tradita declaratione haec inferuntur.

I. Creatio triplici modo describi potest, prout inspicitur vel terminus a quo actio aliqua incipit quodammodo, vel terminus ad quem efficacitate sua pervenit, vel ratio sub qua suum proprium effectum respicit. Primo modo considerata creatio dicitur *productio qua res efficitur, nullo praesupposito*, per modum scilicet causae materialis ex cuius potentia educatur. Alio modo dicitur *productio qua res efficitur secundum se tota*, h. e. non solum quantum ad formam, verum etiam quantum ad materiam seu subiectum eiusdem. Denique, inspecta ratione sub qua effectus per se a creatione respicitur, ea dicitur *effectio entis, in quantum talis*: creatione siquidem non solum res efficitur ut sit talis, vel haec, sed simpliciter et omni modo ut sit: ut paulo infra uberius declarabitur.

II. Creatio nullam supponit potentiam realem nisi activam in Creatore, neque actum ullum formalem in re ipsa quae creari dicitur. Ea siquidem res efficitur secundum totam substantiam, nulla materiali causa praesupposita. Hoc tamen minime prohibet, quominus tum rei interna possibilitas, tum eiusdem forma exemplaris creationi

(1) \* Haec praepositio *ex* potest includere negationem importatam in hoc quod dico *nihil*, vel includi ab ea. Si primo modo, tunc ordo remanet affirmatus, et ostenditur ordo eius quod est, ad non esse praecedens. Si vero negatio includat praepositionem, tunc ordo negatur, et est sensus. Fit ex nihilo, id est, non fit ex aliquo; sicut si dicatur: Iste loquitur de nihilo, quia non loquitur de aliquo. Et utroque modo verificatur cum dicitur, ex nihilo aliquid fieri. Sed primo modo haec praepositio *ex* importat ordinem, ut dictum est: secundo modo importat habitudinem causae materialis quae negatur. \* S. THOMAS (*Summa th.* 1. p. 45. a. 1. ad 3.).

etiam subaudiatur: illa enim potentia quaedam est, sed logica, non realis; haec vero forma realis est, sed rei extrinseca. [*Pr. Ph.* 565, 647.]

III. Creatio non est mutatio, nisi secundum modum intelligendi tantum. Mutatio enim subaudit subiectum reale quod se habeat ut causa materialis: hanc vero omnino excludit actio creativa. Quoniam autem, ut dictum est, res quae creatur prius concipitur non esse quam esse, hinc secundum intelligendi modum in ea concipitur quidam quasi transitus rei a statu possibilitatis ad statum realitatis, qui transitus ad instar mutationis apprehenditur.

IV. Nulla successio invenitur in actione creativa. Apposite S. Thomas. \* Secundum hoc, ait, potest esse successio in motu vel quacumque factione, quod id, secundum quod est motus, est divisibile vel secundum quantitatem, ut in motu locali vel in augmento, vel secundum intentionem et remissionem, sicut in alteratione. Hoc autem secundum contingit dupliciter. Uno modo, quia ipsa forma quae est terminus motus, est divisibilis secundum intentionem et remissionem, sicut patet cum aliquid movetur ad albedinem. Alio modo, quia talis divisio contingit in dispositionibus ad talem formam, sicut fieri ignis successivum est propter alterationem praecedentem circa dispositiones ad formam. Ipsum autem esse substantiale creaturae non est divisibile modo praedicto; quia substantia non recipit magis et minus: nec in creatione praecedunt dispositiones, materia non praexistente: nam dispositio ex parte materiae est. Relinquitur igitur, quod in creatione non potest esse aliqua successio. \* (2. *Cont. Gent.* c. 19.) Hinc ulterius deducit idem S. Doctor, in re quae creatur, minime distingui posse *fieri et factum esse*. \* In his, ait, quae fiunt sine motu, simul est fieri et factum esse, sive talis factio sit terminus.... sive non sit terminus motus, sicut simul formatur verbum in corde et est formatum. *Et in his, quod fit, est; sed cum dicitur fieri, significatur ab alio esse et prius non fuisse. Unde cum creatio sit sine motu, simul aliquid creatur et creatum est.* \* (*Summa th.* 1. p. q. 45. a. 2. ad 3.)



V. Ex oppositione ad declaratum conceptum creationis patet, quae sit propria ratio *annihilationis*. Quemadmodum igitur creatio est *productio ex nihilo*, ita annihilationis est *desitio in nihilum*. Ut in creatione terminus a quo totaliter negatur, terminus contra ad quem totaliter affirmatur; sic vicissim in annihilatione, priori termino totaliter affirmato, alter omnino negatur. Quia denique defectu unius termini nulla vera mutatio adest in creatione, sic pariter ob alterius termini defectum nulla etiam transmutatio intervenit in annihilatione: transmutatio siquidem utrumque terminum exigit. Quum vero nihilum minime esse queat terminus effectiois, hinc annihilationis non potest concipi nisi per *cessationem conservationis*. Ex quo ulterius Doctor Angelicus, et cum eo theologi communiter colligunt, neque ipsam *transubstantiationem*, quae in venerabili Sacramento locum habet, esse annihilationem proprii nominis: transubstantiatio enim est vera transmutatio, tametsi non *transformativa*. \* Dicendum, ait, quod substantia panis vel vini, facta consecratione, neque sub speciebus sacramenti manet, neque alibi: non tamen sequitur quod annihilaretur; *convertitur enim in corpus Christi*. . . Dicendum, quod licet post consecrationem haec sit falsa: substantia panis est aliquid; id tamen in quod substantia panis est conversa, est aliquid, *et ideo substantia panis non est annihilata*. \* (*Summa th.* 3. p. q. 74. a. 3. ad 1. et 3.)

539. **In quo genere entitatis sit actio creativa.** — Hic vero movetur quaestio, utrum actio creativa sit aliquid in Deo vel in creatura, et ad quodnam entium genus revocari debeat. Suarez (*Metaph.* D. 20. sect. 4. 5.) contendit, eam vere et proprie contineri in genere actionis formaliter transeuntis, et esse modum ex natura rei distinctum a creatura eique physice adhaerentem. At enim difficiliter admodum id intelligi potest, non solum ob generalem rationem qua ante [508. ] ostendimus, actionem divinae potentiae non esse aliud a divina substantia, verum etiam quia modus istiusmodi nec esset res subsistens nec res inhaerens. Non primum: foret enim substantia, in-

completa saltem, quod de creatione dici non potest: non alterum, siquidem penderet in esse a suo subiecto, quod etiam de actione creativa dici non potest. Praeligimus itaque sententiam Angelici, qui sic distinguit. \* Creatio potest sumi active et passive. Si sumatur active, *sic designat Dei actionem, quae est eius essentia cum relatione ad creaturam*; quae non est realis relatio, sed secundum rationem tantum. Si autem passive accipiatur, cum creatio, sicut iam supra dictum est, proprie loquendo non sit mutatio, non potest dici quod sit aliquid in genere passionis, sed est in genere relationis. . . *Et sic creatio nihil est aliud realiter quam relatio quaedam ad Deum cum novitate essendi*. \* (*Qq. Disp. Pot. q. 3. a. 3.*) Ex quo patet, quodnam sit fundamentum huius relationis: est scilicet ipsum esse creaturae cum quadam novitate in conceptione, ut loquitur idem S. Doctor (*Summa th.* 1. p. q. 45. a. 3. ad 3.), ut nempe ex efficacia divinae actionis subsequitur non esse eiusdem creaturae (1). Hinc patet ulterius, an haec relatio sit nec ne natura prior substantia rei creatae. \* Dicendum, ait rursus, quod illa relatio accidens est, et *secundum esse suam considerata, prout inhaeret subiecto*, posterius est quam res creatae; sicut accidens subiecto, intellectu et natura, posterius est: quamvis non sit tale accidens quod causeatur ex principiis subiecti. Si vero consideretur *secundum suam rationem, prout ex actione agentis inmiscitur praedicta relatio*, sic est quodammodo prior sub-

(1) Ob hanc rationem differt inter rei creationem et conservationem. Haec enim similem relationem ponit in creatura, sed absque praedicta essendi novitate. \* Creatio, ait Angelicus, importat relationem praedictam cum novitate essendi: unde non oportet quod res, quodcumque est, creetur, licet semper referatur ad Deum. Quamvis non esset inconveniens dicere, quod sicut aer, quamdiu luceat, illuminetur a sole, ita creatura, quamdiu habet esse, fiat a Deo, ut etiam Augustinus dicit super Gen. ad litt. lib. 8. c. 12. Sed in hoc non est diversitas, nisi secundum nomen, prout nomen creationis potest accipi cum novitate vel sine. \* (*Qq. Disp. loc. cit. ad 6.*)

iecto, quia sicut ipsa divina actio est eius causa proxima. (Qq. Disp. *loc. cit.* ad 3.)

540. **De virtute creandi. Quaestio resolvenda.** — Atque haec satis dicta sint pro declaratione istius excellentissimae actionis. Agendum est modo de subtili controversia quae a theologis et philosophis passim hac in re ventilatur, an scilicet virtutem infinitam postulet, atque adeo unus Deus Creator esse possit. Quaestio autem in eo vertitur praecise, utrum creandi virtus, non quidem a Deo independens aut illimitata, sed a Deo communicata ab eoque in suo exercitio dependens et ad certum creaturarum ordinem restricta, in aliqua creatura sine contradictione inveniri queat. Etsi vero in conclusionem negantem theologi passim conveniunt, tum auctoritate Patrum, tum etiam ex quodam quasi naturali instinctu, quo, ut Hilarius Pictaviensis ait (12. *Trin.* init.): *Humanae intelligentiae sensus respuit, ut creator creatura sit, quia creatio per Creatorem est:* in reddenda tamen ratione huius repugnantiae non parum dissentiunt, ut videre licet apud Suarez (*Metaph.* D. 20. sect. 2.). Nemini porro mirum esse debet, si in hoc etiam intelligentiae nostrae tenebras experiamur, etsi tanta difficultas extiterit in ipsa existentia atque adeo possibilitate actionis creativae solo naturali lumine agnoscenda. Est enim actio cuius proprius essendi modus est a naturali captu remotissimus. Hinc difficultas magna inveniatur oportet, tum in ea asserenda, tum in iis quae ad eam exclusive spectant, rite determinandis. Rem totam declarabimus cum Aquinate.

#### THESIS XXIV.

*Creatio est propria actio solius Causae primae et universalissimae, quae propterea cum nulla creatura, nec de potentia Dei absoluta, communicari potest.*

541. **Probatio.** — S. Thomas plura argumenta in huius veritatis ostensionem adducit (*Summa th.* 1. p. q. 45. a. 5., 2. *Cont. Gent.* c. 21., Qq. Disp. *Pot.* q. 3. a. 4.). Duo tamen seligimus quae praecipua videntur, quaeque in hunc modum proponere licebit.

I. Altera ratio ducitur ex summa excellentia divinae virtutis. Oportet Deo asseratur aliqua effectio, fundata in eius infinita actualitate, quae propterea cum nulla alia natura communicari valeat. Patet autem, effectiorem eiusmodi, in ratione effectiōnis, supremam et nobilissimam esse oportere. Atqui id de sola creatione dici potest, ut quae omnium actionum est maxime independens. Ergo actio est solius Dei propria. Huius ratiocinationis prima tantum propositio declaratione eget. Porro ea in primo aspectu valde congrua rationi apparet, et constanti inductione confirmatur. Pro diversitate enim naturarum diversae conspiciuntur operationes, non solum quantum ad maiorem vel minorem intensivam perfectionem intra eandem speciem, verum etiam quantum ad speciem ipsius actionis. Potiori igitur iure id sentiendum est de divina potentia, ut quae analogice dumtaxat cum qualibet virtute agendi causarum secundarum convenire potest (1).

(1) Hanc rationem egregie expositam habes apud cl. I. Kleutgen, ex quo haec pauca transcribere iuvat. \* Può bene, ait, una causa superiore fare ancora, alla sua maniera, ciò che fanno le inferiori: ma se quella appartiene veramente ad un ordine superiore, dovrà darsi, ad ogni modo, un'operazione a lei così propria, che non sia